

I. N. J.
Προάυλιον.

H St ea ingenii humani indoles, ut non tantum ea, quæ ante pedes posita, sed & quæ remotiora, pervestigare ac perscrutari gestiât. Hinc etiam in ipsum cœlum, imò & in ea, qua supra cœlum, mentis acie penetramus, nec quicquam tam arduum, quò pertingere non allaboremus. Pervenimus verò ad rerum arduarum & abditarum cognitionem præeuntibus nobis *experientiâ, sanâ ratione, & Scriptura S.* ubi illa deest, ista succurrit, ubi & ista deficit, utriusq; defectum compensant sacræ literæ. Cum igitur impræsentiarum nobis de *Aquis supra-cœlestibus*, materiâ arduâ, à multis impugnata & in dubium vocata variè, tractaturis, desit experientia & sensus litem dirimere, ratio etiam dubium eximere nequeat, nihil restat nisi ut ad sacras literas confugiamus, ibiq; Creatorem Ter Opt. Max. de creaturis suis loquentem summâ cum reverentiâ audiamus & sobriè ac Christianè deinde de operibus ejus judicemus, nihil curantes vel Rabbiorum aniles fabulas & somnia, vel hominum malè feriatorum deliria, vel etiam aliorum discrepantia judiciâ. Dum verò materiam hancce pertractare conamur & contradicentium sententiam destruere aggredimur, faxit DEUS Ter Opt. Max. ut eventus per omnia nostris respondeat conatibus!

THESIS I.

Cum igitur in astruenda nostrâ sententiâ non alijs usuri simus fundamentis, nisi quæ ipsa S.S. suppeditat, nemo tamen exinde putet, nos ullum in aliud peregrinum genus committere saltum. Cum enim S. S. Scriptura & rerum naturalium norma, natura, non diversa vel opposita, sed sub-